



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Proœmium. De nominibus Gog & Magog.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

mirationem habent : eritque ferendum patienter , quòd repetantur quædam ex iis quæ fuerunt dicta.

Est autem etiam prophetia Ezechielis super Gog & Magog tota, æquè ut Apocalypseos , arcana & mystica : atque in verbis latet intelligentia recondita & mysterium dignum piâ attentione.

P R O O E M I U M.

De nominibus Gog & Magog.

Mentio
Magog.
in Gen.

Prima mentio Magog est in Scriptura, Genesios 10. v. 2. ubi de origine populorum & divisione post diluuium : quæ secundum literam est habitatio Scythica : quod etiam insinuare videtur Ezechiel cap. 38. v. 2. dum nominat *terram Magog*. Fuit is unus è septem filiis Japheth : *Fili Japheth*, ait Scriptura, *Gomer & Magog* : ubi quoque nominantur *Thubal & Mosoch*, quibus præesse Gog dicit Ezechiel. Japheth quidem habitasse in Scythia, auctor est S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesin : & Josephus lib. 1. antiq. cap. 11.

Gog &
Magog
in Ezech.

Secundò, de Gog & Magog integra sunt Capita duo Ezechielis fuscè, caput 38. & 39. ubi Gog appellat Principem capitis Mosoch & Thubal (cap. 38. v. 3.) Est autem terra Thubal Iberia, illa quæ vicina est Scythiæ, & est ad Aquilonem regioni Judææ : Mosoch verò est Cappadocia.

In Apoc.
hic.

Tertiò, Apocalypsis nostra meminit nominum Gog & Magog : de quibus velut remittit nos ad prophetiam Ezechielis tanquam plenam.

Quartò, S. Hieronymus commentar. in Ezechielem profitetur de Gog & Magog velle se afferre & asserere germanam expositionem Ecclesiasticam. *Nos, inquit, Ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur.* Exponit de persecutione Ecclesiæ per Hæreses : Et Gog quidem, quod significat græcè δῶμα, Latinè tectum, esse Principem hæresiarcharum : Magog verò, quod significat, de tecto, esse eos qui doctrinam Gog receperunt.

Expositio
S. Hieronymi

Quintò, S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 11. cujus verba citavimus in Tract. 29. §. 1. definit sermonem esse de novissima persecutione contra Ecclesiam quæ per Gog & Magog oppugnabitur toto orbe terrarum per quem erunt isti & illa sparsi.

Affertio
S. Augustini.

Sequamur has tres Scripturas ; & super illis hos duos maximos Doctores Ecclesiæ : ita ut hæc omnia conciliemus inter se : & ex omni parte eruamus cum divino auxilio prophetiam Ezechielis integram de Gog & Magog.

§. I.